



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Sebastiani Henrici Penzingeri, Consistorialis  
Passaviensis, Decani, & Parochi in Trauttmanstorff ad  
Laitam Bonus Ordo Triplicis Formatae Concionis Moralis In  
Omnia Festa Sanctorum In Amplissima ...**

**Penzinger, Sebastian Heinrich**

**Solisbaci, 1698**

Disc. IX. Mens ac anima Virginis Labem nescit. Innocentia, ac Immaculata  
conceptio Mariæ scriptis Doctorum Ecclesiæ, & piis cogitationibus  
confirmatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51763](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51763)

## DISCURSUS IX.

*Sine peccato originali concepta est B.V. Maria.*

Exordium

**P**ævidens increata Sapiëntia, nasciturum in progressu sæculorum inter Adæ posteros dubium quoddam, scilicet Mater ejus ad contrahendam originalis peccati maculam sub communi lege comprehendenda, an verò non? valde sapienter ac providè disposuit, ut ad augendam fidelium pietatem, & ad Matris suæ digniorem æstimationem, ac venerationem, tale quid in sacris Cantico scriberetur, unde illam exemptam facillè deduci posset. *Tu pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Cant. 4. cap. Quam enim aliam sibi verba hæc significationem vendicare possunt, quàm pro immaculatâ Virginis Conceptione faventem dubii resolutionem? etenim indubitatum, & cum omnem controversiam est, Beatam Mariam semper Virginem nullum unquam contraxisse actuale peccatum, ut contrarium nemo non sine blasphemiam possit effari; solum inter orthodoxos quosdam ortum est dubium, an illud originale peccatum contraxerit Virgo, quo homo, non ex proprio defectu, sed ex communi lege naturæ coinquinatur. hoc autem dubium Deus ille, qui fallere, aut etiam falli non potest, clarè satis resolvit, dum Genitrici suæ loquens ait: *Tu pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Veritatem hæc

SS Patres. divino, ac Mariano honori consonam unanimi sensu SS. Patrum tuentur. *Omnes itaq; mortui sunt in peccatis, nemine proxiimo excepto, demptâ Matre Dei, sive originalibus, sive etiam pro-*

S. Anselm<sup>o</sup>. *luntate additis.* scribit S. Anselmus. in Comment. ad cap. 2. epist. 2. ad Corinth. *Sicut primus Adam formatus fuit ex terra, antequam esset maledicta, ita secundus Adam formatus fuit ex*

S. Andreas Apostolus. *terrà, Virgine nunquam maledictâ.* perorat S. Andreas Apostolus in ejus vitâ. *Decuit Matrem Dei esse purissimam, sive*

sine peccato; unde non solum quando puella, sed quando parvula, sanctissima, & in utero sanctissima, & in conceptione sanctissima, eleganter discurrit S. Thomas à villâ novâ. Cant. 3. de Nat. B. V. Nec sustinebat Justitia, ut illud vas electionis communibus lasseretur injuriis, quoniam plurimum à ceteris differens, natura communicabat, non culpa, differit S. Cyprianus. ferm. de Nat. Christi. Hæc est originalis pœna delicti, à quâ nemo, quanvis eximia polleat sanctitate, liber existit: quotquot enim ex ipsâ nati sunt propagine (exceptis duntaxat Mediatore Dei, & hominum, Homine Jesu, & ipsius Matre) sub hęc peccati lege sunt conditi. effatur S. Laurentius Justinianus. de casto connubio. cap. 7. Concludit tandem S. Petrus Damianus, ferm. de Assumpt. B. V. Caro enim Virginis ex Adam assumpta, maculas Adæ non admisit, sed singularis continentia paritas in candorem lucis æterna conversa est. Ergo nos quoque imploratâ Spiritûs S. gratiâ, immaculatam Virginis Conceptionem dignis Conceptibus defendamus.

S. Thomas à villâ novâ

S. Cyprianus

S. Laurentius Justinianus

S. Petrus Damianus

### CONCEPTUS I.

Pulchra ac decora nimis Regina Esther, quam præ reliquis Virginibus Assuerus rex adamaverat, cujus capiti rex ipse coronam regiam imposuerat, quæ potentissimâ suâ apud regem intercessione totius populi vitam conservaverat, privilegiorum Virginis Dei Matris Mariæ, vera est figura. Ex nomine regis Assueri, littera signata ipsius annulo missa sunt per cursores regis, ad universas Provincias, ut occiderent, atq; deleverent omnes Judæos, à puero usq; ad senem, parvulos, & mulieres uno die, hoc est tertio decimo mensis duodecimi, qui vocatur Adar, & bona eorum diriperent. Esth. 3. cap. de gente Judaicâ, & regina Esther erat, quis ergo non crederet, & ipsam decreto regis comprehendi, quo omnes Judæi, parvuli, & mulieres, pueri & senes occidendi erant, particula enim omnis, neminem prorsus videretur excludere? minimè: nam contrarium eventus monstravit, & ad pedes regis supplicabunda Esther gratiam obtinuit, felixque obaudiit: *Noli metuere,*

Confirmatio seu Deductio.



non morieris, non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est. Mira sententia! si pro omnibus, ergo etiam pro te: non pro te, sed pro omnibus definit rex, reginam suam, tamen Judæam, suo decreto excipiens, lege communi gratiosè solvens: Unde hoc reginæ privilegium? unde tanta regis potestas? Princeps Philosophorum Aristoteles fundamentum hujus privilegii lib. 3. Politicorum, cap. 9. elucidat, dicens: *Magna nobilitas communibus Civitatis juribus non est subiecta.* Et pro Augusta stat lex 3. ff. de LL. *Princeps legibus solutus est, Augusta autem, licet legibus soluta non est, Princeps veritatem illi privilegia tribuit, quæ & ipse habet.* Summæ nobilitatis, imò reginæ dignitatis erat Esther, communi ergo contra Judæos legi non subiciebatur; amantissima regis Assuetæ Augusta erat, eadem ergo cum ipso privilegia regis indoluit sortita est. Justo Regis æterni judicio, rectâ Dei lege, *in Adam omnes moriuntur.* 1. ad Cor. 15. cap. Ob rationem, quia *in Adam omnes peccaverunt.* ad Rom. 3. cap. *Omnes enim filii iræ.* Sed & Maria Virgo verus est homo, ergo & ipsa in Adam peccaverit, & consequenter morietur in Adam? Ne timeas, non morieris in Adam, ait Legislator æternus, non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est: abbe lege Maria soluta, à peccato etiam originali speciali privilegio est præservata; Maria post Deum ipsum nobilissima ac dignissima persona, Filia Patris cœlestis, Mater Unigeniti Filii Dei augustissima Sponsa Spiritus S. communi hominum legi ac iudicio non est subiecta, sed præ omnibus creaturis à Conditor omnium singularibus Prærogativis ac privilegiis est donata, ipsa sola Mater facta, sed intacta permansit Virgo, ipsa sola dolore genuit Salvatorem mundi, ipsa sola corpore, & anima in cœlum assumpta, ipsa sola sine maculâ originali est concepta. Roborat Conceptum hunc S. Thomas de villâ novâ. Cant. Nat. B. V. *Non enim decebat sanctuarium Dei, donum sapientiarum, reliquiarium Spiritus, urnam manna cœlestis, aliquam in se latere habere.* Maria igitur in Adam non peccavit, & consequenter in Adam non est mortua; speciale est privilegium Mariæ, quod alteri non dabitur.

## CONCEPTUS II.

*Sicut liliū inter spinas, sic amica mea inter filias Adæ.* canit sponsus de Mariâ. Cant. 2. cap. Quid laudabilius lilio, quod medias inter spinas consistens, nullius puncturæ sensu læditur, candore integritatis illæsa florescit, suavitatis incorruptæ inter spinarum acumina fragrat odore? Ecce tibi Mariam, unam Dei amicam inter filias Adæ, sicut liliū inter spinas. Peccatum, ut ait Gregorius Nyssenus. orat. 2 1. de Nat. Dom. in Scriptura vocatur spina. Inter spinas primogenitorum suorum, qui in peccatis concepti fuere, Maria Virgo in Conceptione suâ immaculata permansit. Unde S. Petrus Damianus. serm. 3. de Nat. B. V. *Sicut liliū inter spinas, inquit, sic Beatissima Virgo Maria enituit inter filias, quæ de spinosa propagine Judæorum candescebat.*

## CONCEPTUS III.

Hæc singularis gratia immaculatæ Conceptionis, Beatæ Virgini præstita, à regio Prophetâ prædicta fuisse videtur, cum dixit: *Adjuvabit eam Deus manè diluculò.* Nimirum patrocinabitur, favebit, suppetias feret Dominus Deus Mariæ Virgini, in veram suam Matrem prælectæ. Sed quando, & quo tempore id fiet? ô David? *manè diluculò*, antequam illucescat; in instanti videlicet Conceptionis suæ, præservando ipsam à peccato originali: hinc ubi vulgata dicit: *Adjuvabit eam Deus manè diluculò.* legit S. Hieronymus. *Auxiliabitur ipsi Deus in ipso ortu matutino.* ut nimirum digna solis Justitiæ aurora elucescat, vel summo manè. Præclare Hugo de S. Victore serm. 34. de Instit. Monasticâ. *Beata igitur Virgo Maria, verè aurora clarissima fuit, quæ suo magnifico jubare, præcedentium Patrum claritatem minoravit.*

## CONCEPTUS IV.

Patrem cœlestem de filiâ suâ adeò fuisse sollicitam, ut eam planè absconderit, refert Sapiens Ecclesiastici. 42. cap. *Filia Patris abscondita est.* Quæ alia creaturarum omnium Filia.

lia Patris cœlestis est, quàm benedicta semper Virgo *Mater  
Maria Dei Filia* (inquit S. Germanus Patriarcha Constantinopolitani Fragmento 13. in Mariali à Maracio edito) *præparata in habitationem universalis Regis seculorum, & in reformationem generis nostri.* Sed cur abscondita? an tot infidelium pericula, è quibus abscondendo eripere, aut tot inimicorum latebant insidia, ob quas amantissimam Filiam suam Patris cœlestis sibi voluit reservare? Maria Dei Filia in habitationem Unigeniti Filii Dei singulari studio præparata, thesaurus pretiosissimus ac Deo charissimus erat; ita Richardus à S. Laurentio. de laud. B. V. *Maria est thesaurus, quia in eâ, ut in gremio philacio reposuit Dominus omnia dona gratiarum, meritorum virtutum, & prerogativarum, donorum, & charismatum.* Tandem nunc est, ut cum Gregorio hom. 11. in Evang. loquitur quod thesaurus absconditur, ut servetur, in presenti etenim quasi in viâ sumus, quâ ad Patriam pergimus, maligni nam spiritus iter nostrum quasi quidam latrunculi obsident, depredari ergo desiderat, qui thesaurum publicè portat in viâ. Hinc nunc igitur Filiam Patris absconditam, Mariam Virginem per peccatum etiam originale malignis spiritibus, tamquam latrunculis in prædam cederet pretiosissimus hic Dei thesaurus. Rationem hanc reddit purpuratus Ecclesiæ Doctor Hieronymus. epist. 19. cap. de Assumpt. *Ut nesciat violari, neque committi ullis insidiarum fraudibus.* Ave Maria Virgo, Dei Mater, Filii Patris dignissima, dolosis sathanæ tentationibus abscondita ab omni etiam originali peccato libera, pura, innocens, & immaculata!

### CONCEPTUS V.

Indignatus erat Deus toti generi humano, quia gravissimis peccatis suis sceleribus eum offenderat. Gen. 7. cap. Quia propter merita totum mundum statuit mulctare pœnâ, unde diluvio eundem submersit, quando in tantam excrevit aquarum multitudinem, ut altissimos operuerit montes. *Quindecim autem diebus altior fuit aqua super montes, quos operuerat. vers. 20.*

nihilominus arca Noë evasit illæsa, & incolumis; unde volens tandem experiri Noë, num aquæ cessassent diluvii, emisit columbam, quæ postquam diu spatiosos peragrasset aeris campos, nec ubi figeret pedem, reperisset, reversa est ad arcam, apportans secum ramum virentis olivæ. *At illa venit ad eum ad vesperam, portans ramum olivæ virentibus foliis in ore suo.* Gen. 8. cap. S. Ambrosius. lib. de Noë & arcâ, cap. 16. & cum eo doctissimus Cajetanus. in cap. 7. Gen. inquit, quomodo columba in reditu ad arcam ramum illum olivæ virentis invenire potuerit adhuc illæsum? & quidem optima est hæc difficultas, etenim tanto impetu aquæ diluvii fluxerunt, & decurrerunt undique super terram, ut non solum arbores eradicarent, verum etiam altissimos terræ adæquarent montes. In quâ igitur terræ parte, inquit S. Ambrosius, olivæ istius ramum columba invenit? & respondet, nunquam hanc arborem fuisse evulsam, & eradicatam, tametsi vehementissimus fuerit aquarum impetus, adeoque quamvis aliæ arbores eradicatæ, & deperditæ fuerint, olivam tamen in suo flore ac vigore permansisse, & propterea loquens de Noë iusto dicit: *Gavissus est vir iustus, videns fructum de veteri semine aliquem reservatum, & inde collegit misericordie insigne divina, quod fructum demonstrasset, cui non potuissent nocere diluvia.* Quasi diceret: Sanctus ille seniculus Noë summè gavissus fuit videns, quod in communi, & universali terræ exterminio, post eradicatas, & evulsas omnes arbores, una nihilominus ab universali diluvio illæsa, & præservata remanserit, oliva nimirum, quæ in pristina sua viriditate, & vigore permansit, & perseveravit. Quemadmodum ergo in universali diluvio omnes reliquæ submersæ sunt arbores, imò prorsus deperditæ, & sola conservata fuit oliva; ita omnes creaturæ rationales maculam contraxerunt originalem, & conservata præ omnibus fuit sola mystica oliva Maria Virgo, de quâ ait Ecclesiasticus. cap. 24. *Quasi oliva speciosa in campis.* Nempe seniculus Noë typus fuit Patris æterni, qui è cœli arcâ, super mysticam hanc olivam Mariam Virginem: *Ego autem quasi oliva fructifera in domo Dei, columbam* mysti-

mysti-

mylticam Spiritum S. emisit. *Spiritus Sanctus* supervenerit. Lucæ. 1. cap. Evulsis itaque, & subversis cunctis arboribus, est, susque deque everfo genere humano: *Videō homines quos arbores ambulantes*, sola hæc oliva immaculatæ innocentia suæ viriditatem conservavit, atque in Conceptione sua illi permansit, utpotè quam Deus omnipotens prævisam Unigeniti filii sui Matrem, à primo Conceptionis suæ instanti originali peccati labe præservavit, sicque cum gaudio archicam columbam Spiritum S. unà cum olivâ mysticâ Mariâ Virgine revertentem, in arcam cœli intulit. Subscribit conceptionem hanc Marjanus calamus S. Joannis Damasceni. lib. 4. de Fide orthod. cap. 15. *Beata Virgo in domo Dei plantata, & per Spiritum Sanctum saginata, instar olivæ frugifera, totum omnium domicilium efficitur, ut, quæ videlicet ab omni jusce vitæ, & carnis concupiscentiâ mentem abstraxisset, atque Virginem cum corpore animam conservasset, ut eam delectat, in Deum sinu suo exceptura erat, sanctus enim ipse cum sit, in illius requiescit.*

### CONCEPTUS VI.

Ob inobedientiam Adami protoparentis nostri, terra à Domino maledictam, refert liber Genes. 3. cap. *Maledicta terra in opere tuo.* Aquam tamen nullibi legimus à Deo maledictam. Si nunc ubique locorum terræ aquam sociavit Deus, cur aquæ pepercit misericors, dum terram justus Deus maledixit? quæstioni huic clarissimè respondet magnum Ecclesiæ lumen Augustinus de Mirabilibus Scripturæ. *Notandum est, quod aquam à Deo ordinatam esse, ut pro ablucendis, ac purificandis à peccato Adami hominibus medium saluberrimum deprepararet, aqua igitur, quæ mediâ gratiam Dei, & misericordiam consequimur, reverentialiter pepercit misericors Deus, eamque omni prorsus maledictione absolvit.* Ex doctrinâ seraphicâ Bonaventuræ. in speculo B. V. lect. 3. Non solum fontis, sed abyssus, sed mare dicitur *Maria*, propter affluentiam, & copiam gratiarum. Sicut ergo misericors Deus materiali aqua pe-



cit; & pro saluberrimo gratiæ divinæ medio prævisam à maledictione absolvit; ita pariter, juxta mentem præfati Ecclesiæ Doctoris, inexhaustum divinarum gratiarum mare, Mariam humillimam benignè respexit, peccatorem inter & Deum iratum, unicam mediatricem, præelectam unigeniti filii sui Matrem, à maledicto Adæ clementer absolvit misericors Pater. *Quis, oro, hujus Virginis gratiam sufficit enarrare?* exclamat S. Laurentius Justinianus. serm. de Annunt. B. V. *ab ipsâ namq; sui conceptione in benedictionibus præventa dulcedinis, atq; a damnationis aliena chyrographo prius est sanctificata, quàm nata.*

## CONCEPTUS VII

Corpori mortuo Jesu Christi, quod magnis precibus à Pilato obtinuerat Joseph ab Arimathia, reclinatorium mundissimum providit, involutum enim in sindone mundâ, posuit in monumento novo, quod ipse exciderat in petrâ, in quo adhuc numquam quisquam positus fuerat. Ita S. Matthæus. cap. 27. *Et accepto corpore, Joseph involvit illud in sindone mundâ, & posuit illud in monumento suo novo, quod exciderat in petrâ.* Cur tanta sindonis mundities corpori jam mortuo exhibetur? Ut quid non aliis hominum mortuorum cadaveribus corpus mortuum Salvatoris adjunxit piissimus hic Joseph? Quid sibi vult monumenti istius novitas Christo Jesu tam sollicitè excisa de petrâ? Ut nimirum mortuo etiam corpori filii hominis, munditie sindonis, & novitate monumenti, condigna reverentia, & puritas exhiberetur. Domus Dei ab æterno Patre ordinata, quam Filius Dei vivi inhabitaret, Virgo Maria erat, uterus ejus virginalis sindon mundissima, in quâ vivum Corpus Jesu Christi, Mater intemerata involvit, ibidemque novem mensibus Virgo conservavit. Si jam Corpus Christi mortuum sindone mundâ involvi, & poni in monumento novo, ubi nunquam quisquam positus fuerat, divina providentia disposuit, ne contiguitate cadaveris deturpari, aut maculis telæ contaminari contingeret; quantò magis,

i

cor-

corpori vivo inhumanati filii sui domum, Virginem ab omni  
 etiam peccati originalis maculâ mundissimam præservare, &  
 ludque in sindone mundissimâ, utero scilicet virginali, omni  
 corruptionis experte, non sine speciali divinâ dispositione  
 volvi, æterno Patri complacuit. Observatio hæc est Dionysii  
 Carthusiani. lib. 1. de præconio, & dignitate Mariæ. art. 11.  
*Providit nempe Pater æternus, preparavitq; unigenito suo con-*  
*venientem proportionatamq; genitricem, non utiq; nisi pulcherr-*  
*rima atq; suavissima oscularetur puella, Materq; mundissimâ,*  
 Quod ipsum etiam Marianè ponderat S. Bernardus. serm. 2. de  
 Assumpt. B. V. *Absit, ut proprii quidquam inquinamenti dæmon*  
*hæc aliquando habuisse dicatur, ut in eâ proinde scopa Lazari quo-*  
*reretur.*

Epilogus.

Immaculatam Virginem Dei Matrem, *librum gran-*  
 nominat Richardus à S. Laurentio. lib. 2. de laud. B. V. Dige-  
 nitate, scientiæ profunditate, multimodâ difficultate, scientie  
 rum inscrutabilitate, & omnis generis utilitate grandem, in  
 quo continetur scientia omnis, quæ pertinet ad salutem ho-  
*brum Sapientia.* S. Antoninus part. 4. tit. 15. cap. 5. §. 1. *Quæ*  
 continet in se sapientiam, id est, Dei Filium, & ideo oportet  
 eam esse puram ab omni peccato. Ad hunc nos invitavit Be-  
 nardus de Busto. in Mariali part. 9. serm. 2. *Cupientes ergo*  
*vitam æternam pervenire, studeant in libro isto die ac nocte, &*  
*so se faciant adscribi per devotionem. Amen.*

*Anna suam natam conceperat immaculatam,  
 Laudibus hæc tollant, tellus, & astra, colant.  
 Tu quoq; felicem præ cunctis dic Genitricem,  
 Quam tulit ille sibi, qui se dat ipse tibi.*

